

fitate aspectus.

DEINDE Ex velocitate, & tarditate motus, hunc eundem ordinem cælorum colligunt Astronomi hac ratione. Quo magis cælum a natura & conditione primi mobilis recedit, eo etiam in inferiori est loco ponendi: At cum Luna inter omnes planetas celerrime ab occidente in orientem feratur, vt supra diximus, maxime a motu, atque conditione primi mobilis videtur discedere, & ob id primo cælo, seu mobili minus conformari; possidebit igitur infimum locum. Eadem ratione cælum stellatum in supremo loco collocabitur, quoniam tardissime contra motum primi mobilis fertur; deinde succedet sphaera Saturni, postea Iouis, & sic de reliquis, statuendo semper ordinem supra dictum. Ceterum ex hac via nihil certi statui potest de ordine Solis, Veneris, & Mercurij inter sese. Quamuis enim ex ea colligatur, quod hi tres planetæ supra Lunam collocentur, quoniam videlicet tardius ab oriente in occidentem feruntur; Et quod infra firmamentum, Saturnum, Iouem, ac Martem sint positi, quod nimirum velocius contra primum mobile ferantur: tamen quisnam eorum supra alterum sit constituendus, certo sciri nequit, cum eodem fere tempore motus proprios ab occidente in orientem perficiant.

TANDEM ex eclipsibus, siue occultationibus planetarum, stella rumque idem ordo cælorum colligitur ab Astronomis. Non enim dubit esse potest, quin illud astrum sit inferius, quod alterum nobis occultat. Cum ergo Luna, quando cum alijs planetis coniungitur, eos nobis interdum e visu eripiat, necesse est, vt ei infimum locum concedamus: Pari ratione erit Mercurius sub Venere, & Venus sub Marte, & sic deinceps. Hæ igitur sunt rationes fere potissimæ, quibus Astronomi ordinem cælorum, quem auctor explicauit, concludunt. Quamuis enim nulla eorum sufficienter huic ordinem colligat; omnes tamen simul sumptæ confirmant, cælos eo ordine collocatos esse. Nam ex diuersitate aspectus infallibiliter colligitur ordo Lunæ, Mercurij, Veneris, & Solis. Ex velocitate vero & tarditate motus conuenienter supra hos quatuor planetas collocatur Mars, deinde Iuppiter, postremo Saturnus, supra omnes vero planetas firmamentum, siue octauum cælum, quod subsequitur nona sphaera sub primo mobili constituta. Ex eclipsibus denique licet non omnium planetarum ordo firmiter possit colligi, tamen Luna cogimur infimo loco ponere, & omnes planetas sub firmamento.

VT AUTEM plenior cognitio huius ordinis habeatur, non abs